

retur, ac tandem parti sanæ robur, ut Albucasis ait, adderetur: Quod citissime exiguo dolore, ac tuto ab igne præstitum fuit. Post hanc operationem partem sanam unguento (ut ajunt) defensivo munivimus. Supra escharam ut ea crassior efficeretur, pulverem chalcanti cum sarcocolla imposuimus, deinde stupam bene pexam & mundam, atque imbutam ovorum candido liqvore bene agitato, cui bolum armenam superaddidimus. Interim quæ ad diæteticam, & pharmaceuticam pertinere videbantur, diligenter observata fuere. Procurata fuit lenitio doloris, prohibitio inflammationis casus escharæ, abstersio, ac ulceris incarnatio, & tandem cicatricis inductio. Quæ cuncta quibus medicamentis assequamur, cum ab omnibus Doctoribus tractentur, tanquam omnibus nota, & brevitatis causa recensere nolui. In hoc casu profecto valde laboravimus. Denique verò (Dei gratia) post multos dies ulcus ab amputatione brachii relictum ubiqve consolidatum fuit. Unde percipitur in amputatione alicujus membri verus amputandi modus: nam si sequuti fuisset alios descriptos amputandi modos, in dubio vita talis ægrotantis procul dubio versata fuisset. Quod ad laudem sit semper omnipotentis Dei.

M. m. m. 4

IN-